

ta circulationi humorum, & vitia independentia.

629. Inde diagnosis, & prognosis ejus habetur, & liquet cur tremor cum frigore (621.)? cur ingens tremor adeo malus? cur in animi affectibus majoribus tremor? cur circa mortem? cur ab evacuatione omni nimis magna? cur a nimio potu quocunque?

630. Curatur restituto aequabili fluore & pressione liquidi arteriosi in arterias, cerebrosi & cerebellosi in fibras motrices: id obtinet in morbi initio usu eorum, quae lentorem solvunt, vires reddunt (606. ad 617.); in fine autem per ea, quae liquida perdita subito restitunt, fibras roborant, & viscera (46. 47. 48. 49.)

ANXIETAS FEBRILIS.

631. **A**nxieta pro causa habet sanguinis ex corde egressum impeditum; adeoque per fines pulmonales, aut Aortae impossibilem transitum; hinc spasmus vasculorum contractorum, aut materiem inflammataam transire ineptam; similia orta vidimus ex impedito trajectu cruoris per Venam Portarum ex iisdem causis; unde, quum omnis sanguis venosus,
a coe-

a coeliacis & mesentericis arteriis allatus, redire non possit, stagnet, vasa extendat, arterioso fluxui resistat, & omnia hinc nata & nascitura mala producat, liquet ambas has anxietatis causas in omni acuto morbo quam severissime observandas & curandas esse.

632. Si anxietas ergo talis (631.) diu persistat, circa vitalia producet polyposas concretiones, inflammationes, gangraenas subitaneas, cum intolerabili angustia, & morte cito subsequente; si autem haesit in hypochondriis, tum maximum sensum aegritudinis circa stomachum pariet, reliquis visceribus minus acute sentientibus; dein putrefactiones subitaneas sanguinis in vasis his amplis, minusque validis; unde gangraenae, hepatis putredo, dysenteria a putrefacto lethalis.

633. Inde optime novit Medicus, quid anxietas talis (631. 632.) pro sua causa, & natura ponit, quidque inde praesagendum sit, simulque distinguet inter anxietatem ab uno affecto genere nervoso, absente febre antegressa, & inter eam, quae ab inflammatione acuta, quae tum per sua signa prius se prodidit; inde comparans haec cum vehementia, duratione, loco hujus mali, cuncta prudenter detegere poterit: Cur in omni fere morbo circa mortis

tis articulum anxietas ultimo tragoediam claudit? Cur spasmodica anxietas parum, inflammatoria maxime periculosa? Cur inquires, jactatio, suspiria, anhelatio, pervigilium in morbis inflammatoriis, suppuratoriisque, mortis praenuncia.

634. Inde etiam patet, quam varia requiratur medela ad saevitiam hujus mali leniendam; quae tamen omnis cognoscitur, & applicatur, cognita prius indole ipsius symptomatis. Ubi ergo advertitur affectio spasmodica causa esse, haec tollitur leniendo acere irritans; (603. 604. 605) id expellendo per vomitoria, purgantia, sudorifera, diuretica, abstersiva; diluendo aquosis calidis; sedando animi affectum; laxando fibras, vasa, viscera; (35. 36. 54. 55.) compescendo vim liquidi nervosi per anodyna, & narcotica. Si ab inflammatorio viscido, id solvendo, diluendo, ejusque vasa laxando, impetum denique liquidi vitalis refrænando; huc maxime faciunt potus largus, calidus, aquae mulsae farinosae nitrosae subacidæ levissime aromati-
ca-

calidae, emollientibus mistae, per nares, osque, in pulmones assidue ducto.

635. Si vero usquam, hic profecto mali atrocitas citam, tutamque medelam efflagitat.

SITIS FEBRILIS.

636. **S**itis siccitatem, liquorum immedibilitatem, acrimoniam salisam, alcalinam, biliosam, oleosam, putrida excrementa viae primae, pro causa sua habet.

637. Hinc semper fere praesentiam aliqujus horum (633.) indicat.

638. Adeoque signat, illa denunciari mala futura, quae produci possunt ex iis causis, quas praesentes esse significat (636. 637.).

639. Quare ei semper, maxime in acutis, succurrendum illico est.

640. Quod fit: 1. bibendo aquosa, subacida, nitrosa, demulcentia, calida, saepe, parva copia simul. 2. nares, os, fauces, simili potu fovendo, colluendo, gargarizando. 3. fofus, epithemata. & cataplasmata ex similibus, hypochondriis circumvolvendo. 4. Clysmatibus similibus injectis, & retentis.

641. Si vero valida fitis una comitetur sum-